



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Qui autores & quæ exempla doceant, homines in lupos aliasq[ue]  
bestias mutari?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

vehementer appetit, & frequentat mare; in quo identidem natans & se se mergens, membratim fit piscis. Tandem exuta prorsus terrestris animalis figura in piscis similitudinem & naturam commutatur. Cum igitur res interitui obnoxia tantis polleant viribus, ut una res in aliam vertatur, non videtur ea vis dæmonibus neganda, qui potentia cuncta, quæ terræ ambitu comprehenduntur, longo post se intervallo, relinquunt.

His naturalibus rerum commutationibus accedunt maris in feminam, & feminæ in mare transformationes, quas nullus, nisi omnem historijs fidem abnegare velit, inficias iuerit. Cænis femina, apud Ouidium, in Cæneum virum, in puerum Iphis puella mutata est.

*Tiresias angues baculi violauerat ictu,  
Deq; viro factus (mirabile) femina septem  
Egerat autumnos,*

octavo autem rursus, visis & percussis anguibus iisdem,

*Forma prior redijt, genitinaq; venit imago.*

Ac ne hæc ut fabulosa explodantur, puerum ex virgine factum Paulo Licinio Crasso, & C. Cassio Longino Coss. in publicis Romanorum annalibus annotatum esse, & à Mutiano Consule pro vero sibiq; explorato accepisse, & à seipso in Africa manifesto exemplo compertum, memoriæ prodidit Plinius. Ex recentioribus quoque historiographis narrat Fulgosus, sua ætate, regnante Neapoli Ferdinando primo, duas Ludouici Guarnæ Filias Franciscam & Carolam post decimum quintum ætatis annum sexum mutasse, mutatoq; habitu pro maribus habitas Franciscum & Carolum deinceps nuncupatas fuisse, cuius exempli Petrus Fonseca meminit, & alterius similis Sotus de quodam qui ex femina factus fit vir. Vnde argumentum ducunt, putantq; non minus arduum esse, virum in feminam, quàm hominem in bestiam mutare; quasi scilicet femina à viro non plus; quàm bestia ab homine discreparet.

Rursum ait Bodinus, *transmutationem hominum in bestias agnouerunt Pomponatius, Theophrastus, Paracelsus, principes suæ ætate Philosophi, Herodotus author antiquissimus, Hemerus poeta-*

11173

III.

Ouid. lib 10.  
p. & 15 Metæ.

Petr. Fonseca  
in 5. Meta-  
phys. Sotus  
in 4. d. 1. q. 50  
art. 8.

IV.

rum quasi Deus; M. Varro Græcorum Latinorumq; (Tullio teste) doctissimus, Pomponius Mela, Dionysius Afer, Strabo, Virgilius, Ovidius, & sexcenti alij viri eruditionis laude clarissimi, pro indubitato confirmant. Hoc exemplorum innumerabilium experientia, iudicia, & supplicia in magos constituta, & diuina atq; humana omnium gentium historia certissima probant, quibus se opponere, seq; solum sapere velle hominis frontis perfricta est, & qui iam impudentia callum obduxerit. An non apud S. Prophetam Danielem legimus, Nabuchodonosorem fortuna fauoribus elatum in bouem mutatum esse, septemq; annorum spatio fenum & gramen duntaxat comedisse? Vxorem quoque Lot in salis statuam conuersam sacra tradunt litteræ. Quidam adferunt magorum Pharaonis exemplum, qui non minùs, quàm Moyses baculos in serpentes commutarunt. Narrat M. Varro, Arcades transfatasse stagnum quoddam, atque in lupos commutatos, inter feras, per illius regionis deserta, vixisse; etsi carne humana abstinerent, decurso nouem annorum spatio, eodemq; rursus tranato stagno, in homines reformatos esse. D. Augustinus, seipsum, dum in Italia versaretur, audiuisset asserit, de regione quadam, vbi stabulariæ mulieres magicis imbutæ artibus, caseum dare solebant viatoribus, vnde in iumenta illico mutarentur, & necessaria quæque clitellis portarent, postq; perfunctâ operâ ad se se redirent. Mira huius rei testimonia refert Olaus Magnus Archiepiscopus Vpsalensis. Scribit, in Prussia, Liuania, & Lithuania, sacrosancta illa nocte, qua Christus in hæc terras humana carne vestitus venit, feris immaniores homines se se in lupos conuertere, tantaq; ferocia in homines feruire, vt pluribus maioribusq; se ab illis, quàm à veris lupis, quorum tamen magna inibi est copia, incommodis vexari illius regionis incolæ testentur. Ædificia in siluis mira atrocitate oppugnant; fores effringunt, & obuia quæq; prosternunt, dilacerant, deuorant, cellarâ ingrediuntur, & vino cereuisiaque se ingurgitant. Vbi vasa euacuarunt, omnia in medio cellarij vnum super aliud eleuando collocant, in quo à genuinis lupis, ait Olaus, degenerant. Intra Lithuaniam verò, Samogethiam, Curoniam, parietem ex castello diruto reliquum esse.

esse idem asserit, ad quem certo anni tempore aliquot millia huiusmodi luporum, quos inter magnates, & ex prima nobilitate viri, conueniunt, ibiq; eximiam vnus cuiusq; agilitatem explorant; & si qui parietem transilire nequiuerint, flagris digni à Præfectis iudicati, acerrimè cæduntur. Immò priore sæculo, Anno supra sesquimillesimum quadragesimo secundo, Sultane Solymanno imperij gubernacula tenente, tanta huiusmodi luporum vis, Constantinopoli fuisse narratur, vt armatus Imperator prætoriano stipatus milite ad centum & quinquaginta, vniuerso prospectante populo, ex vrbe eiecerit. Putantur autem omnes fuisse homines, in lupos transformati. Quales sæpè, nostra quoque hac ætate, auditi, visiq; sunt in pagos intrasse, & rusticos miris modis vexasse, aut eos in via inuasisse. Vnum in vicinia nostra ex his lupis, cum educto gladio quidam vellet ferire, astitit repentè seniculus, exuuijs lupinis in auram resolutis, & sibi parci rogauit: cui, etsi is, quem inuaserat, vulnus non imposuit, tamè magistratus parcere non debuisset. Audiui adhuc puer de pica viatorem ad passus multos secuta, ac identidem importuniùs garriente, eumq; velut ludente: quæ, cum ille eam fistulæ aenæ explosione petijisset, ac tetigisset, penna vna alteraue cum fasciculo clauium ex arbore decidente, auolârit. Postea & ille domum reuersus, hospitam reperit brachio læso decumbentem, intellexitq; & clauem illius fuisse, & illam in pica sibi circa caput obuolasse. Hanc historiam puto esse eandem cum illa, quam refert Martinus Delrio sibi, in Belgio, à Wanderburehtio Ecclesiæ Melchiniensis Decano hoc modo recensitam. *Municipis bombardam gerens deambulabat extra municipium: cui ecce obstrepunt multa aues ex obscænis, corui & pica in arbore prope viam. Scelopum collimat, & displodit. Visus sibi vnâ certo ictu perculisse, & decidisse de ramo, reperit solam ferream clauem de cingulo muliebri delapsam. Capit, & domum rediens narrat amico, & num norit clauem? quarit. Respondet alter se nosse clauem vicina domus N. Itur ad domum, reperiunt ianuam clausam; inserunt in feram clauem. recludunt. ingrediuntur, pro familiaritate, qua illis cum patrefamiliâ, Ingressi matrem familias inueniunt, glande la-*

Martin. Delrio lib. 5. Discursus Magic. sect. 3.

858. Cap. LX. An, & quomodo diabolus alios in monstra vertat.  
tus istam. En vt nec ouum ouo similis est, quàm hæc historia  
priori: vt meritò eadem videri possit. Quanquam illa in  
Sueuia, hæc in Belgio contigisse dicatur. Sed nihil obstat, idem  
bis, & in pluribus locis contigisse: poruit enim talis pica & in  
Sueuia, & in Belgio fuisse, vt jam verè de ea dici posset, illud  
Pœtæ:

Quid. lib. 1.  
Am, eleg. 8.

*Est quadam (quisung, volez cognoscere lenam,  
Audiant) est quadam nomine Dipsus anu.  
Ex re nomen habet: nigri non illa parentem  
Memnonis in roseis sobria vidit equis.  
Illa magas artes & aag, carmina nouit.  
Inq, caput liquidas arte recurvat aquas.  
Scit bene quid gramen, quid torto conciti rhombo  
Licia, quid valeat virus amantis equa.  
Cum voluit, toto glomerantur nubila celo:  
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.  
Sanguine (siqua fides) stillantia sidera vidi,  
Purpureus luna sanguine vultus erat.  
Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras  
Suspicio, & pluma corpus anile tegi.  
Suspicio, & fama est: oculis quoq, pupula duplex,  
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.  
Euocat antiquis proanos atanosq, sepulchris,  
Et solidam longo carmine findit humum.*

v.  
Apul. lib. 2.  
Abni aurei.

Quem morem, & quam artem iam olim in Thessalia fu-  
isse communem Madaurensis Philosophus tradit. Quippe cum  
deterrima versipelles in quoduis animal ore conuerso latenter obre-  
pant; vt ipsos etiam oculos Solis & iustitie facile frustrentur. Nam  
& aues, & vrsus, canes & mures, immò verò etiam muscus in-  
duunt. Ibi cadaueri custos constitutus, dum aduigilaret, hæc  
sibi accidisse scribit. Cum ecce crepusculum, & nox prouecta, &  
nox altior, & deinde concubia altiora; & iam nox intempesta, mi-  
hiq, oppido formido cumulatior quidem: cum repente introrepens  
mustela contra me constitit, obtutumq, acerrimum in me destitit;  
vt tantillum animalis præ nimia sui fiducia mihi turbauerit animi.  
Denique sic ad illam: Quin abis, inquam, impurata bestia, tegi  
admi